HOMILIARIUM, U.A. GREGORIUS MAGNUS

Entstehungsort unbestimmt, 1424 Seite 322r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35053
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

dives est iste rex iudeorum qui por
tatur ut parvulus / adoratur ut deus
parvus in presepi / inmensus in celo /
vilis in pannis / preciosus in stellis
Cuius nativitatem comperta he
rodes turbatus est / et omnis Ierosolima
cum illo. Quid est quod sic
turbatus es herodes? Quod na
tum regem iudeorum audisti turba
ris suspicionibus agitaris / nimi
dis stimulis inflammaris / et ob
hoc natum regem occidere conaris
Inanis est ista turbacio tua et
vana est prorsus cogitacio tua /
Rex iste qui natus est non venit
reges pugnando superare / sed mo
riendo mirabiliter subiugare / nec
ideo natus est ut tibi succedat /
sed ut in eum mundus fideliter cre
dat. Venit ergo / non ut pugnet
vivus / sed ut triumphet occisus /
nec ut sibi de aliis gentibus auxi
lium querat / sed ut pro salvandis
gentibus preciosum sanguinem fun
dat. Inaniter invidendo timuisti
successorem / quem debuisti credendo
querere salvatorem / quia si in eum
crederes / cum eo regnares / et
sicut ab illo accepisti temporale reg
num / acciperes etiam sempiternum /
huius enim pueri regnum non est de hoc
mundo / sed per ipsum regnatur in mundo
Ipse enim est sapiencia dei que dicit in
proverbiis / per me reges regnant /
Puer iste verbum dei est / puer iste
virtus et sapiencia dei est. Tu si potes
contra dei sapienciam cogita / istud
pricie usabis / et nescis. Tu enim
regnum nullatenus habuisses / nisi
ab isto puero qui nunc natus est
accepisses habuisses. Puer qui
nunc a magis rex dicitur iudeorum

Idem rex et dominus est angelorum
Certe ipse cuius times infanciam
nascentis / magis timere debes omni
potenciam iudicantis. Noli ergo
eum timere regni tui successorem /
sed time infidelitatis tue iustissimum
dampnatorem / utinam eum magis
adorantibus / tu cum eis pariter adorares /
et non ad eum magos fraudulenta
calliditate mandares. Ite inquit
interrogate de puero / et cum inveneri
tis renunciate mihi / ut et ego ve
niens adorem eum. O calliditas ficta
O incredulitas impia / O nequicia
fraudulenta. Si adorare puerum
istum certissime disponebas / qua
re perfido multos pueros occidebas.
Sanguis innocentum quem cru
deliter effudisti attestatur quid
de hoc puero voluisti. Et tamen
ipsum puerum / non solum non in
venisti / sed nec illis pueris aliquid
nocuisti / ymo melius quod illis
proderat egisti / per seviciam quippe
tuam facti sunt martires qui per in
fanciam suam fuerant innocen
tes / quando per graciam huius pueri
pro eo meruerunt mori prius quam
eum possent coram hominibus con
fiteri. Iste puer itaque qui mundum
creavit / qui mundum regit qui
omnia quecumque volt facit / qui
cuncta mirabili atque inseparabili
divinitate disposuit / hoc ordinavit
hoc egit / ut per tuam invidiam
furiosam / illi prius mortem susci
perent preciosam / quod eis ad sa
lutem suam prestare non posses
amicus / hoc ad dampnacionem tuam
faceres inimicus / ad hoc ergo te
permisit infantes occidere / ut illos
de te faceret triumphare. Te ergo
permisit ad nequiciam / illos perduxit